IN SERENISSIMI REGIS IACOBI, BRITANNIÆ MAGNÆ, GALLIARVM, HIBERNIÆ, &c. MONARCHÆ

Ab immaniſſima Papanæ factionis hominum coniuratione, liberationem fœliciſsimam

Carmen ἐπιχάριτικον.

LONDINI,
Excudebat Richardus Field.
1606.

SERENISSIMO ET INVICTISSIMO MONARCHÆ

Iacobo Britanniæ magnæ, Galliæ & Hiberniæ Regi Christianissimo.

ÆThæris immensi soboles, decor inclyte terræ,
Virtutum exemplar rarum, lumenque deorum:
Accipe propitio tibi debita carmina vultu,
Mentis læta tuæ gratantis signa saluti:
Illa inculta quidem, docti nec digna subire
Principis aspectum; diuino cuius ab ore
Melliflua excipiuut dicentis flumina musæ,
Ascrææque nouas formant Aganippidos vndas.
At tu, luce tua, exiguas animare lituras
Dignare, & tenuis pigmenta fouere Camenæ.

Tuæ maiestatis obseruantissimus.

BRITISH MUSEUM

Michael Valesius, in academia Glasquensi Philosophiæ professor.

IN SERENISSIMI REGIS IACOBI BRITANNIÆ MAGNÆ, FRANCIÆ, HIBERNIÆ, &c. MONARCHÆ

Ab immanissima Papanæ factionis hominum coniuratione, liberationem fælicissimam Carmen ἐπιχάρτικον.

MEns mea iamdudum feruore impulsa recenti,
Pegasei rorem, laticesque haurire Lyæi,
Et totum spirare ardent præcordia Phœbum.
Certat lingua animum fando, manus æmula linguam
Scribendo superare, meo vt mea carmina regi,
Regi, cui vnitis coniuncta Britannia sceptris,
Francia, Ierna subest, & iustis paret habenis
Sparsa Caledonio quæcunque est insula ponto,
Regi inuicto armis, orbe insuperabili, & Orco,
Læta voce canam, læto congratuler ore,
Erepto sæui insidijs immanibus hostis:
Insidijs, quas vel truculentus inhorreat Hunnus:
Quas nec perfidiæ infames cognomine Pœni,
Nec Scytha crudelis, nec Turca, aut Sarmata dirus,
Non anthropophagi insanæ feritatis alumni,
Non gens extremis tam barbara finibus vlla
Terrarum audiuit: quas nunquam callida Circe
Finxerit, Ææisue ferox Medæa venenis.
Dicite Pierides, quo primum eruperit ortu
Machina tanta mali, & tanti discriminis horror.

Dux Erebi, reprobæ parent cui ſæcula ſortis,
Cum latè placidas vrbes, pacatáque regna,
Tranquillâ & populos degentes pace videret;
Quemque ſua ſub vite, ſuæque ſub arboris vmbra,
Auſpicijs, IACOBE, tuis, clariſſime regum:
Continuò inuidiæ ſtimulanti incanduit æſtu,
Infernoſque furens ad limina tetra miniſtros
Concilium crudele vocat: glomerantur in vnum
Innumeræ peſtes Erebi, Furiæque nocentes,
Sæuities, & proditio, fraudeſque, dolique,
Perfidia & lethum, labor, & diſcordia demens,
Liuorque, & cæco præceps audacia vultu:
Multaque præterea variarum monſtra ferarum.
In medijs ſtetit ipſe nigri moderator Auerni
Horridus, & rabidis patefecit vocibus iram.
Siccine tranquillo produci ſæcula curſu?
Sic fortunatas patiemur viuere gentes?
Quæ noua mutauit noſtros clementia mores?
Iam noſtræ pereunt artes, odiumque vetuſtum:
Excubijs fruſtra aſſiduis iam cingimus orbem.
En nimium pietatis amans, REX ILLE Britannus
Expulit occidui totus regionibus orbis.
Illius auſpicijs, en aurea naſcitur ætas:
En antiqua redit pax, & concordia mundo.
En pietas, & cana fides iam libera paſſim
Incedunt, noſtrâque canunt de plebe trophæa.
Ille ſacram è cælo, vitijs à ſtirpe reciſis,
Iuſtitiam terris, legeſque, & iura reduxit.
Quinetiam mundi poſitas ſub cardine gentes,
Et maris extremas cingentis gurgite terras,
Quâ Thule, penituſque iacet qua Scia repoſta,
Hibernoſque feros, montoſaque teſqua colentes,

Queis

Queis pro lege fuit vis, queis mos viuere rapto,
Imperij assueuit sceptris, motusque rebelles
Sustulit, & placida mutauit pace tumultus:
Errorúmque illic tenebris, omníque remota
Barbarie, Christi cælestem accendere lucem
Sedulus incumbit, nostrúmque euertere regnum.
Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
Fata viri! quoties illum terráque, maríque,
Insidijs petij? num Perthi occumbere clausus,
Ruuena potuit dextra? num proditus ipsa
Proditione capi? num ferro effundere vitam
Cognato? medias acies, mediósque per hostes,
Effugium inuenit: mea credo numina tandem
Fessa iacent, odijs aut exsaturata quiêrunt.
Quinetiam patria egressum, gelidíque per vndas
Æquoris, in Dani tendentem principis aulam
Coniugis affectu charæ, Tritona per altum
Ausus eram sectari, & toto opponere ponto.
Absumpsi incassum vires terræq́, maríque.
Quid mihi Graiorum, & Ralij, insidiæq́ Cobami?
Quid mihi mille hostes? artes quid mille nocendi
Profuerant? hostis mihi adhuc, hostísque meorum
Viuit, & augetur sceptris, opibúsque, & honore.
Immanes potui gentes, populósque feroces
Perdere; clara solo disiectis oppida muris
Æquare, & trepido mundum turbare tumultum:
Hunc autem nostris in quo vis maxima rebus
Opposita, insidijs inuoluere non datur vllis.
Sic illi inuigilat supremi cura Tonantis.
Siccine dedecores igitur patiemur inultum
Terris eijcere? & quis nomen Bestiæ adoret
Præterea? aut aris nostris imponat honores?

Qua labenti igitur placeat ſuccurrere regno,
Conſulite in medium, & facinus dicernite tanto
Conuentu dignum: cuperem iam Tartara cœlo
Miſcere, & Stygijs inuoluere cuncta tenebris,
Soluere ſede elementa ſua, laxare profundi
Clauſtra maris, ruptis immittere flumina terris,
Et rerum mutare vices, totúmque repente
Marte, & morte, ſua ſtatione reuellere mundum:
In chaos vt rurſum antiquum ſeſe omnia condant.
Sic fatus, voce horrenda, & clamore cruento.
At vulgi incertum murmur, ceu gurgite clauſo,
Saxa obſtant fluuijs rapidis: pars maxima bellum
Indicit ſuperíſque, viríſque, polóque, ſolóque:
Continuóque ruant, Iouæ niſi fræna coercent.
Tum verò triſti de ſede reſurgit Abaddon,
Horridus immani rabie, cui triſtia bella,
Iræq́, inſidiæq́, & crimina noxia cordi.
Hic potis vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odijs verſare domos: huic nomina mille,
Mille nocendi artes inimico in pectore fixæ.
Hic maculare manus natorum ſanguine matrem
Impulit: hic fratris fædauit ſanguine fratrem:
In patrem hic natos, ſæuum in ſua pignora patrem,
Hic regem in populum, populum in regem incitat, armat:
Hic multis fraude, inſidijs, ferróque, dolóque,
Principibus ſtruxit lethum: hic clariſſima regna
Turbine corripuit, florentéſque obruit vrbes.
Qui tunc conſilij immanis fundamina iecit,
Talibus ingreſſus Supremo aduerſa Tonanti
Signa quidem conferre nefas: prius ecce potentem
Senſimus illius detruſi in Tartara dextram.
Sed curas inferre graues mortalibus ægris

Si libet,

Si libet, & populis, extincto Rege Britanno,
In quo ſumma quies, commune intendere lethum:
Qua fieri id poſſit, paucis aduertite, dicam.
Eſt egreſſa ſinu noſtro gens, ſæuior hydris,
Tergemini gens Geryonis, qui turribus altis
Vrbis ſeptijugæ reſidet, cui iura, fidemq;
Primigenæ ſobolis dedimus, mendacia, fraudes,
Furta, impoſturas omnes, miracláque ficta.
Hæc gremio ſuſcepta meo, meáque vnica cura,
Me tradente, dolos, geſtus, artémque nocendi
Edidicit, ſimulare fidem, contexere fraudes,
Prodere fidentes, incautas fallere mentes,
Vnanimes odijs paribus turbare ſodales,
Omni ſæuitia, cædíſque cupidine feruens.
Hi mala ſunt quæuis prompti ad patranda miniſtri.
Quot reges, magnóſque illi extinxere Monarchas
Proditione, dolo, inſidijs, cæcóque veneno?
Quot nobis hoſtes ferro flammíſque necârunt?
Teſtis grande nefas, nobis gratiſſima ſtrages,
Infamis cunctis qua facta Lutetia terris:
Sequana cum curſum cæſorum mole morata eſt,
Sanctorum & totas impleuit ſanguine ripas.
Quicquid ineſt vlli, quicquid poſſedimus omnes,
Illis omne ſcelus, feritas ſimul omnis inhæret.
Hac è gente aliquem (nec enim quis fraudibus expers)
Regalem perducam Iacobi ad principis aulam:
Sit Salomone licet grauior, ſit Dauide maior,
Cedet, & inſidijs noſtri ſuccumbet alumni.
Dixit: & applauſu dicta excepere, manúſque
Porrexere omnes, inuentáque triſtia laudant.
Ille igitur fera capta premens, ſuperas ſuper auras,
Continuo tetris Cocyti horrendus ab antris,

Se leuat:

Se leuat: hunc comites, fraus, proditióque sequuntur,
Et lateri scelus omne, nefas, audacia adhærent.
Egressus, medio Phœbi pallentis in æstu
Infecit radios, vlulatúque æthera rupit
Horrendo, sonuere vndæ, montésque cauernis
Ingemuere cauis: ferale Britannia murmur
Præsensit, Tamesis reuolutis torpuit vndis,
Sanguinei & toto rutilarunt æthere nimbi.
Tunc in canitiem nigranti vertice verso,
Protinus vnius, faciem vultúmque cohortis
Infaustæ, primam quam condidit ignis, & Ate,
Ore iecta feri fœda excrementa Draconis,
Mentito quæ nomen habent à nomine Iesu,
Induitur, longæq; incedens syrmate abollæ,
Vestigat, sceleri tanto quem destinet aptum.
Forte erat Eboratæ gentis, teterrimus Anglus,
Fauxius, in Belgis multos qui finibus annos,
Sub ducibus graue Martis opus tolerarat Iberis:
Papanæ assertor sectæ, & certissimus vltor,
Relligioni odijs sinceræ hostilibus instans,
Nequitia, rabiéque tumens, quo non fuit alter,
Compositus magis ad fraudem, & scelus omne patrandum.
Hunc simulac oculis lustrans circum omnia, vidit,
Aduolat, & geminis amplectens blandius vlnis,
Infundénsque animo furiale per oscula virus:
Talibus aggreditur simulati vocibus oris.
Quid tibi longinquos iuuat insanire labores
Guido animi infœlix? quid vim, florémque iuuentæ
Consumis frustra externis inglorius aruis?
Præmia cùm maiora domi fortuna ministret,
Maiorésque parent tibi fata & sidera honores,
Si parere velis, monitus ne temne paternos.

Námque

Namque ego ſum ſanctis de fratribus vnus, Ieſus
Queis nomen dedit, & ſacræ myſteria ſectæ,
Aſſecla Pontificis magni, cui carior ipſa
Relligio vita, & ſanctæ reuerentia matris.
Huic graue (proh dolor) excidium, fortunáqne præceps
Oppoſito incumbit regis terrore Britanni,
Qui veſtræ nuper ſucceſsit gentis habenis:
Nec noſtræ requies fidei, aut ſtatio vlla patebit,
Quacúmque illius porrecta potentia ſceptri:
Ni tanti medicina mali matura paretur,
Tollatúrque prius, cultum qui tollere mundo
Antiquum parat, erroréſque inferre recentes.
Tanta ſubire tuum potis eſtne audacia pectus?
Tantane te pietas, ſacræ tantuſne mouebit
Relligionis amor? tanti vt laudabile facti
Suſcipias opus: æthereæ quo protinus aulæ
Promereas ſedem, & famæ immortalis honorem
Serorum extendas ventura in ſæcla nepotum.
Nec via difficilis, regem qua funditus ipſum,
Qua liceat ſponſam, ſobolemque extinguere totam:
Qua facilè expedias, paucis aduerte, docebo.
Tectum auguſtum, ingens, gradibus cui limina multis
Magnifica exſurgunt, altis ſuffulta columnis,
Vrbis ad occiduas Londini panditur ædes,
Sacri vbi concilij ſedes, vbi curia regni,
Perpetuíſque patres ſoliti conſidere menſis.
Huc ſumma ad regni comitia habenda, diebus
Altero ab hoc primis indicta hyemalibus, anno,
Imperij proceres omnes, ſanctûſque ſenatus,
Quíque ſacris præſunt, rex ipſe, & regia coniunx,
Conuenient ſedem, & ſoboles regalis in vnam.
Tempus in hoc, (mea rite memor mandata reſerua)

Adiunctis, paribus facinus quos mentibus æquat,
Quos tibi consortes addam vitæq́, neciſq́,
Cuniculis occultè actis, tellure ſub ima,
Illius à fundo penitus fundamina tecti
Suffodite: hinc laxata ſuis ſuſpendite fulcris:
Queis facilè excuſſis, vaſto conuulſa fragore,
Tota domus ſubitam trahat alta à ſede ruinam,
Sæculáque horrenda ſuper obruat impia ſtrage.
Quale, Palæſtinis quondam exitiale tulerunt
Robore Samſonis direpta palatia fatum.
Aut hac forte viam facilem ſi fata negarint,
Aulæ ſuppoſitam cameram conducite magnæ:
Viribus hanc ſummis, totam, tacitóque labore,
Puluere ſulphureo, ſaxis, ferróque replete.
His igni accenſis, ſimulátque ſubiuerit altam
Ordinibus regni princeps comitantibus, aulam,
Sternantur ſubito, lecerata è ſedibus imis,
Magnæ fundamenta domus, cunctóſque ſuperne
Vi rapida ſecum tollant, verrántque per auras.
Sic pereant ſacræ qui oppugnant dogmata Romæ,
Demiſſo vt quondam Sodomitæ cælitus igni.
Nec tua ſeu fato occumbas, ſupereſue, feretur
Fama leuis, tantíque aboleſcet gratia facti.
Quin Papa omnipotens Capitoli immobile ſaxum
Dum colet, imperiúmque Pater mitratus habebit:
Semper honos, norténque tuum, laudéſque manebunt.
Nec tibi Sulphureis voluens incendia fumis
Ætna animam, aut tetro purgatrix flamma vapore,
Quæ precibus tantum & luſtrali vincitur vnda,
Torrebit: ſed te, primum ſtatione peracta,
Excipiet gaudens prælati regia cæli:
Aſcriptóque deûm in numerum tibi templa dicabunt

Pontifices,

Pontifices, multísque ſtruent altaria donis.
Dixit, & ardentes ſtimulos ſub pectore fixit.
Ille animi victus: ſequimur, ſanctiſsime frater,
Quo nos cumq; vocas, nec tantæ nomine cauſæ,
Mille ſubire neces, & mille pericla veremur.
Nec mora, continuo Belgarum littora linquens,
Omine ferali patrias remeauit ad oras:
Aſcitíſque ſibi ſocijs, ſcelerúmque magiſtris,
Quos ſimili ſerpens feritate inflauit Auernus,
Allexítque venenatis Babylonia philtris
Mæcha, immane nefas, primum, fædúſque ſceleſtum
Sacramento auſi panis ſancire ſacrati:
Inde manus addunt operi, tectíſque ſub alta
Cuniculis terra poſitis, radicitus omnem
Eruere intendunt ædis circum vndíque molem.
Perpete ſic ſenos menſes triuere labore
Ergaſtæ miſeri, nec enim datur hora quieti.
Iamq; fere ipſius ſubter penetralia muri
Ima aduentabant, foſſoriáque abdita agebant:
Optatæ cum fors cameræ dira obtulit vſum,
Quæ ſuperis ſubnixa columnis ſubiacet aulæ:
Hanc, mercatorum ſimulantes nomen inane,
Saxorum cumulis, ferri, liníque, & acapnæ,
Sulphureíqne cadis ſex ſenis pulueris implent.
Quos vt flammiferæ ſtupæ ſuccenderet igni,
Concilij prima patrum ſub luce coacti,
Fauxius interiore latebat fornice tecti
Funeſtam votis exſpectans omnibus horam,
Merſuram regale caput, procerúmque, patrúmque.
(Heu ſceleris tantum pectus mortale ſubibat!)
Rectore vt patria viduata, & roboretoto,
Luctibus, & trepido turbentur cuncta tumultu,

Amotóque procul lucis ſplendore ſerenæ,
Papanis rurſum inuoluantur cuncta tenebris.
Iamq́ dies infanda aderat, perq́ æthera, quinto
Altus agebat equos brumali Phœbus in ortu:
Cælum conſcendens, quam lex æterna vocabat
Segnius, atque polo currum rapiente, retorquens:
Defectu nuper facto, raptæq́ labore
Lucis, & inſueto vultus pallore, nefandum
Indicens facinus, manifeſtáque ſigna pericli.
Concilij auguſtam cum REX IACOBVS *ad aulam*
Totus regificis collucens veſtibus, alta
Maieſtate nitens, vultûſque decore ſereni,
Qualis vbi prima naſcentis luce diei,
Phoſphorus os effert cælo, tenebráſque reſoluit,
Et iuxta HENRICVS *iuſtiſsima cura parentis,*
Indolis eximiæ princeps, ſpes altera ſceptri,
Supra annos, animúmque gerens, geſtúmque virilem,
Dux ſimul Eboracus, pulchri puer inclytus oris,
Carolus, *& ſobolis genitrix pulcherrima tantæ,*
Ingenti procerum turba comitante, patrúmque,
Tum quibus eſt ſacri cuſtodia credita templi,
Tum quibus eſt tractare datum ciuilia rura,
Magnáque præterea iuuenúmque ſenúmque caterua,
Principis, in medio, ſtudium queus, prima ſenatu,
Vis vbi Neſtoreo promanat nectaris ore,
Proloquia haurire, omniparæ prudentia mentis,
Quantáque ſit liquidæ facundia noſcere linguæ,
Haud dubiam cuncti in mortem (miſerabile viſu)
Greſſibus incautis ibant, ſi fata tuliſſent.
At pater omnipotens, cuius mortalia ab alto
Cuncta patent oculis, vitæ qui tempus ab æuo
Ire, necíſque iubet, mundum ratione gubernans

Æterna,

Æterna, insidias prospexit ab æthere cæcas,
Et dedignatus sceleris cæpta effera sæui,
Tótque viros simul insignes, clarissima cunctæ
Lumina Christiados, miseranda morte perire,
Principis interitum innocui, regníque ruinam,
Atque sui casum populi miseratus acerbum,
Impia pestiferæ elusit molimina turbæ,
Nocte Erebíque satum reserans sælus omne tenebris.
Namq́, subornati prius est quam ad limina tecti
Peruentum, supremi instinctu numinis actus
In medio occurrens spatio Montaglius heros,
Acceptam manibus chartam regalibus offert,
Incertum, quo missa manu, quo pollice scripta,
(E coniuratis sed enim certissimus index)
Quæ reuocare gradum monitu suadebat amico
Montaglio, in certum nisi præceps ire pararet
Exitium, nec se turbæ immiscere profanæ,
Quam super atra dies iam iam ruitura, notíque
Flatibus insanis, & fulminis ocyor alis,
Iudicijq́, incumbat ineuitabile fatum,
Iniecta vt rapido cum charta absumitur igni.
Securis animis alij excepere: sed ipse
Hostilem toties fraudem, insidiásque nefandas
Expertus, solersq́, suo discrimine factus,
Vnde repentini terrorem incumbere casus
Posse putet, secum sagaci corde volutat
Princeps magnanimus: veris cui denique mentem
Cæli inspirauit vis prouida coniecturis,
Non aliter quam sulphurei per puluerís ictum
Tam subitæ stragis succumbere posse ruinæ.
Continuóque omni comites ex agmine lectos,
Aulæ subiectas ædes, infernáque tecta

Rimando ſemel atque iterum explorare iubebat.
Fit tandem manifeſta fides: cæcæq; pateſcunt
Inſidiæ, ſceleriſq; miniſter Guido latebris
Extrahitur, dextra flammantis ſpicula tædæ
Oſtendens, qua ſulphureum ſuccenderet ignem.
Ille nefas primum ſe relligionis amore
Romanæ àggreſſum, elapſámque dolere, proteruo
Affirmat vultu: ſed poſt examine facto,
Quæ coniurati in regem, regniq; ruinam,
Auſu intentarant furioſo ſingula pandit.
Percius hinc, & queis ſceleris mens conſcia tanti
Multi apprenſi alij, cæſiq; aut carcere clauſi,
O miranda Dei bonitas: ô iuſtitia: ingens
O regi patefacta ſalus, populóque Britanno.
Quippe ſua quàm fraus bene prenſa eſt effera fraude,
Dædaleæq; ſuis interceptæ artibus artes:
Ergo tu, pæne ereptum quæ faucibus Orci
Nunc recipis regem, cui nec pietate, nec vllis
Iuſtitiæ officijs, animi, mentiſúe, vel oris,
Dotibus ingenij, genijq; illuſtribus alti,
Toto terrarum princeps ſe conferat orbe,
Naturæ exhauſta eſt in quo vis omnis in vno,
Cuius pace tibi pax parta, quiéſque quiete,
Terra Britanna, tuæ ſi quæ te cura ſalutis,
Si pietas patriæ, & ſceptri reuerentia tangit,
Siue iaces tepidi campis vicinior Auſtri,
Siue iaces Boreæ propior glacialibus auris,
Siue iaces pelago longè ſubmota refuſo,
Lucem illam, qua lux conſeruata eſt ſua mundo,
Lucem illam, qua ſpes tranquillæ reddita vitæ,
Lucem illam, niueo ſignandam in ſæcla lapillo,
Semper honoratam, & votis ſolennibus aptam

Concelebra,

Concelebra, fama memori, immortale per æuum.
Quippe tuam, illius recolas si funere sortem,
Quis tanti cladem fati, quis fando tumultus
Explicet? aut posset lachrymis æquasse dolores?
Terrificis gemeret concussus motibus orbis,
Nec super vlla quies, nec pax super amplius esset:
Externo arderent, ciuilique omnia bello.
Strata solo pietas, ius, & veneranda iaceret
Relligio, sua cuique sibi pro lege foret vis.
Nobilitas caderet cum plebe, vagúsque per omnes
Latè ensis fureret, penderent mœnia tectis
Semirutis, lapsis & saxa ingentia muris.
Agricolis agri, viduatæ ciuibus vrbes
Horrerent, cunctísque inuicta Britannia nuper
Area vicinis populis subiecta daretur.
Quantâ igitur, quanta ô magni clementia patris?
Quantus amor? quantæ indicium bonitatis? ab alto
Dilecti intentus regis, regníque saluti,
Qui sortem auertit lachrymosam & funebre fatum?
Hunc igitur laude, hunc sacris concentibus omnes
Et memori celebrent fama, matrésque, viríque,
Longæuiq; senes, pueri, innuptæq; puellæ,
Ignota de plebe inopes, & sanguine clari.
Tuque adeo, quem sic arces, & mœnia Romæ
REX IACOBE *horrent, fataliáque arma tremiscunt,*
Cui sic indulget larga indulgentia cæli,
Diuina & tanti ereptum terrore pericli
Dextera, adhuc rerum fata ad maiora reseruat.
Hunc agnosce ducem tantæ authorémque salutis,
Qui longè super humanæ contagia sortis,
Templa colens radiata poli, mortalia cuncta
Arbitrio versat, magno & sub numine torquet:

Regibus

Regibus vnde pijs decus, exitiúmque tyrannis.
Semper honoratum, ſemper tibi amabile nomen
Illius: & populos late diffunde per omnes.
Vtque magis ſcelus, & male ſanos horreat auſus
Impietas, gentem ſceptris excinde nefandam
Tricipitis monſtri diris quæ infecta venenis,
In ſcelus, inque nefas, cæco ruit acta furore,
Contemptrixq; poli, & terræ communis Erinnys:
Principibus quæ inferre manum, ſacríſque tiaris,
Audet, vt amoto lucis ſplendore ſerenæ,
Inuoluat miſerum tenebris ſqualentibus orbem:
Feruidus his inſta, ſimul ima à ſtirpe reuelle.
At quibus eſt pietas, & vitæ candor amori,
Hi tibi ſint cordi, hos vultu complectere amico,
Hos adiunge tibi comites, his defer honores.
Sic ius ſceptra tibi verum moderetur & æquum:
Queis ducibus tibi ſurget honos, queis inclyta factis
Dextra per immenſas fama celebrabitur oras.
Nos pacem interea tranquillam, & cuncta tenentes
Læta ſalute tua, lætum Pæana canemus.
Nec votis, precibúſque vnquam ceſſabimus æquis,
Vt qui ſigna ſui tam nunc manifeſta fauoris
Ædidit, ille parens, quo pendent omnia ab vno,
Sic tibi qui inſidijs, & cæca fraude, ſacratum
Aut armis violare caput nituntur apertis,
Afflatu ſubito cunctos exhauriat hoſtes:
Subducénſque metu procul omnis in alta pericli,
Lentáque longæuæ producens fila ſenectæ,
Felici imperium, & diuturna pace ſecundet,
Auctum opibus, cunctíſque bonis: dúmque aurea voluat
Aſtra polus, ſolio ſobolem confirmet auito.

FINIS.

5 AP 80 MUSEUM